



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Recollectio Spiritvalis**

**Masen, Jacob**

**Coloniae Agrippinae, 1691**

Meditatio III. De extremo judicio particulari & universali.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60213](#)

II. Da semper operam, ut zelum animarum & vigente m retineas, & quotidiano nutrimento per considerationem motivorum ad eundem excitantium, & serventem ejusdem à Deo postulationem, & actualem ac sedulam operationem conserves & augcas; quo enim ardenter & vivacior hic zelus fuerit, tanto alacrius & diligentius, & hoc ipso etiam plerumque fructuofius muneris tui functiones perfolves.

III. Non tam ad labores & difficultates, quas in functionibus tuis pateris, quam ad fructum & lucrum tuæ & alienæ salutis oculos reflecte; sic enim omnes dies & labores videbuntur pauci & breves præ amoris magnitudine, qua in DEUM, tuamque & aliorum animas flagrabis.



### MEDITATIO III.

*De extremo judicio particulari &  
uniuersali.*

**V**ERITAS. A morte statim quilibet judicabitur, datus rationem de universis bonis malisque cogitatis, verbis & operibus. (2) Deinde ultimo mundi

mundi die palam in oculis totius creaturæ manifestabuntur secreta omnia , ad improborum confusionem , gloriam electorum , & æquitatem Dei Judicantis aperiendam . (3) Postremò sententia improbis metuenda , probis optanda pronunciabitur.

## ORATIO PRÆPARATORIA usitata.

PRÆLUDIUM I. Constitue te ante Deum Indicem , primum in illo momento , quando anima decedit à corpore . Deinde & in illo , quando anima rursum corpore iuncta in valle Iosaphat statuetur , in totius mundi oculis .

PRÆLUDIUM II. Pete gratiam agnoscendi rigidissimi examinis rationem , & sententiae severitatem , ut tanto meliori cura paratus accedas ; ne semel reiectus , aeternum cadas .

## I. PUNCTUM.

**C**onsidera , te statim à morte ante faciem Dei Judicis , jam non ex misericordia amplius ( cuius tempus cum vita finitum est ) sed æquitate sola acturi , constituendum . Statutum enim est hominibus semel mori , & post hoc judicium . Quid hic futurum ? respondet sapiens . Cuncta quæ sunt , adducet Deus in iudicium , pro omni errato , sive bonum , sive malum illud

A morte juri  
di alit Deus  
hominem ex  
rigore justi-  
tiae.

Heb. 9 v.  
27. Eccle-  
siae. 12. v. 14.

*illud sit.* Et Christus ipse exemplo rei minima*scien-*

**Matt. 12.**

v 27.

*Nihil in-  
discussum  
manebit,  
nec otio-  
sum quidē  
verbum.*

*Et peccata  
aliena dis-  
cutientur.*

**Psal. 74.**

v 5.

*Et bonorū  
operū im-  
perfecti-  
ones.*

**Job. 9 v.**

21.

*hujus judicij rigorem exponit: Dico vobis, quo-  
ciam niam omne verbum otiosum quod locuti fuerint  
homines, reddent rationem de eo in die iudicij.  
Cuncta, inquit, adducet tibi, libro con-  
scientiae aperto, totum anteaest vitæ tempus,  
cū omnibus facultatibus concessis, ita exponet,  
ut videoas, quid actum, quid omissum, in verbis,  
cogitationis, operibus. O quantum hic temporis  
apparebit neglecti, quantū male impensi! quot  
gratiæ, & dona, tam corporis, quam animi ma-  
le collocata! si cogitationes & verba ponde-  
rentur otiosa etiam, ah prope infinita! si pec-  
cata colligantur omnia, ah quantus horror &  
abominatio! si non tantum propria, sed etiam  
aliena, vel complicum, vel mihi commissorum,  
vel meo hortatu aut exemplo delinquentium*

*peccata expendantur, quanta moles! Etsi pro  
omni errato etiam bono reddenda ratio, si de se  
profitetur Deus: cū accepero tempus, ego iusti-  
tias iudicabo, si bonorum operum intentio ac  
perfectio etiam ad hoc examen vocada sit, quis  
in aliquo tandem opere suo coram hoc judice  
securè subsistet? Etsi hæc cogitatio sanctissi-  
mos viros trepidatione concussit, cū de sin-  
gulis poscendam rationem pœnamque exigen-  
dam scirent: ego miser peccator, vix de opere  
etiam bono rectè paracto securus, quomodo  
ante hunc Judicem comparebo? Jobum tropi-  
dè fatenteim audio: verebar omnia opera mea,  
sciens,*

# PRO ECCLESIASTICIS.

95

sciens, quod non parceres delinquenti. Et qui d' fa-  
quo. ciām, cūm surrexerit ad judicandum Deus : &  
rini cum quæsierit, quid respondebo illi? Si vir tantus,  
icii tam Deo dilectus, anxiè trepidat : quo me in-  
on- dignum convertam ? David hoc tam severum  
pus, Dei judicium etiam deprecatur: Non intres, ait, Psal. 141.  
net, in judicium cum seruo tuo Domine; quia non ju- v. 3.  
bis, stificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Jure  
oris horret subire, ubi viventium neminem justifi-  
quot candum intelligit. Verū frustra ; quia cuncta  
ma- Dens adducet in iudicium. Peccatori enim dixit  
nde. Deus. Tu odisti disciplinam & proiecisti sermo-  
dec- nes meos retrorsum, ostuum abundavit malitia,  
or & & lingua tua concinnabat dolos; sedens adversus  
iam fratrem tuum loquebaris, & adversus filium  
um, matris tuae ponebas scandalum: hac fecisti, & ta- Deus om-  
tum cui. Existimasti iniquè quod ero tui similis? ar- niscius  
pro gnate & statuam contra faciem tuam. Intelli- omnia in  
te se medium  
sti- gite hec, qui oblivisci mihi in Deum, ne quando ra- producet.  
o ac pi- piat, & non sit, qui eripiat. Non poteris hūc Ju-  
quis dicem subterfugere, quia potest omnia : nec in  
fice minimo fallere, quia novit omnia: nec quicquam  
fin- impunè delinquisse ; quia ut bona remunerat, medium  
en- ità delicta hic punit universa. Hoc infinitæ juf-  
ere titiæ tribunal est, & tribunal ultimum, quod  
do nullam patitur exceptionem.

AFFECTUS. O hora metuēda, hora fune- Timor ju-  
sta, & horrenda, quam tamen effugere & decli- diei parti-  
nare non potero ! hora forte brevi subeun- cularis.  
da ! O Angustia ! hinc erunt accusantia  
peccata,

Sancti ad  
hoc judici-  
um trepi-  
dant.

Psal. 49. v.  
16.

Deus om-  
niscius  
omnia in  
medium  
producat.

S. Anselm.  
apud Bo-  
nav. Phar.  
I. 3. c. 49.

peccata, inde terrens justitia; subtus patet ciui  
horridum chaos inferni; desuper iratus Iudex  
intus urens conscientia. Et si justus vix salva-  
bitur, peccator sic depresso in quam partem si  
vertet constrictus? Vbi latebo, ubi apparebo;  
latere erit impossibile, apparere intolerabile.  
Quid dormitas anima tepida, & digna evomi-  
qui non expurgiscitur, qui non tremit ad tan-  
tum tonitruum, non dormit, sed mortuus est.  
O Domine, quò me vertam, quid nunc agam,  
ut mitigare queam hoc rigidum judicium tuū,  
ut cum veneris judicare, nolis me condemnari?  
Intelligo Apostolum tuum mihi respondere,  
si nos ipsos dijudicaremus, non utique judicare-  
mur. Quare frequenti examine conscientiam  
meam discutiam, detestabor, deplorabo, & cor-  
rigam peccata mea. Adversus memetipsum ex-  
ercebo judicium, confitebor delicta mea, je-  
juniis, ciliciis, orationibus pœnam infligam.  
Tu etiam ô Domine, hic potius ure & seca, ut  
in æternum parcas. Quidquid à te mihi ad-  
versi illatum fuerit, tanquam à medicâ manu  
tuâ, vulnera mea sanantis, lubenter admittam.

## II. PUNCTUM.

In fine muni-  
di publicè  
etiam Deus  
omnes judi-  
caturus est,

**C**onsidera, quemadmodum Deus hoc pri-  
vato judicio acquieturus non sit, sed pro-  
ducatur omnia, tam mala, quam bona nostri  
in apertum, publicum, atque universale judi-  
cium

cium. Sedebit super sedem majestatis sua, & con-  
 gregabuntur ante eum omnes gentes, separabit  
 eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab ha-  
 dis. tum ut magis confundat improbos, qui in  
 sceleribus suis latebras sectati sunt; & ut pro-  
 boscis, virtutibus illoruin manifestatis, honoret;  
 tuin ut judicii sui æquitatem Angelis homini-  
 tanbūsque manifestet, in conspectu omnis crea-  
 turæ intelligibilis expositurus facta omnium  
 ac de eis dicturus sententiam, quando inscruti-  
 tabiles haec tenus viæ & judicia Dei patebunt  
 omnibus. Expende, quale hoc judicium futu-  
 rum sit, quantoque apparatu instituendum sit  
 spectaculum spectaculorum omnium gravissi-  
 um, ubi de rebus hucusque occultissimis, de  
 cogitationis, verbis, factisque & neglectis univer-  
 sorum hominum, de vita & morte, de salute aut  
 damnatione æterna, velut in speculo clarissime  
 collecti inque omnia singulis repræsentante, ita  
 patebunt universa, ut nec minimum cogita-  
 tum ultimi certonis latere queat. Quid enim  
 scienti omnia, & potenti impossibile sit pro-  
 ponere? Qualis, obsecro, haec confusio cuius-  
 que futura est peccatoris, quando in Christi  
 D. Virginis & SS. oculis, in notorum juxta &  
 ignotorum conspectu, occultæ ipsius intentio-  
 nes, fraudes, consilia, prodiciones, libidines, &  
 quæcunque altissimis nisus est latebris ac te-  
 debris recondere propalam, & in luce, tam  
 hostium, quam amicorum facinora expro-  
 ram.  
 Ingens haec  
 erit confusio  
 improbos

brantium insultantiūmque malevolo homini exponentur ! Tam ingens, coram Deo hominibusque, tamque sensibilis hæc erit confusio, ut & scipios horreant, & quo se recondant miseri, locum reperturi non sint ; ideoque, *monribus operite nos, & collibus cadite super nos* desperatis vocibus acclamatunt. Ad hoc igitur judicium omnes temerè in hoc mundo judicantes proximum suum, & velut Dei munus ante tempus occupantes, Paulus jubet respicere. *Nolite, ait, ante tempus judicare, quoad usque veniat Dominus, qui judicabit absconditus tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* Aliud erit judicium, quam hic in mundo erga gravissimorum scelerum reos, per equuleos, rotasque & distorsiones membrorum omnium, per uncos crucisque & ignes propositos exercetur. Et tamen quam hoc multis terribile ! Hic de poena unius alteriusve horæ aut etiam diei non agitur, nec de infamia inter paucos homines, aut sæculum unum terminanda ; sed de ignominia, opprobrio, tormentisque æternis. *Sicut ait Deus, exaltantur cœli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à viis vestris, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris.* Ideoque & Paulus in tot carceribus & judicium terrenorum questionibus exercitatus ; *Mibi, inquit, prominuo est, ut à vobis judicer, aut ab humano duci.* Nihil mihi conscius sum ; sed non in hoc iustificatus sum ; qui autem judicat me, Dominus est.

*Judicium  
humanum  
fallax non  
divinum.  
1. Cor. 4.  
v. 5.*

*Humani iuri  
dicti brevis  
pæna, levis  
infamia, non  
divini.*

*Isai. 55.*

*2. Cor. 4.*

# PRO ECCLESIASTICIS.

99

Hoc judicium erit, ad quod cælum terraque  
repentè commovebitur, ac contremiscet. Ad-  
veniet dies Domini sicut fur, in quo cali magno  
imperu transient, elementa verò calore solventur  
terra autem, & quæ in ipsa sunt opera exuren-  
tur. Ad hoc judicium omnes de cælo Angeli,  
deterra homines judicandi confluent. Tunc  
mittet Deus Angelos suos cum tuba, & voce ma-  
gna, & congregabit electos à quatuor ventis.  
Tunc videbis magnos & pusillos stantes ante  
thrонū Dei, & libri aperientur, & judicabuntur  
mortui secundum opera ipsorum, & qui non in-  
venietur in libro vite, mittetur in stagnū ignis.

*Horribile  
Dei judi-  
cium omnia  
commovebitur  
in cælo &  
terra.*

*2. Pet. 3.  
Mat. 24. 31*

*Apoc. 12.*

AFFECTUS. Dies iræ, dies illa, dies tribu- *sophon. I.*  
lationis & angustia, dies calamitatis & miseria,  
dies tenebrarum & caliginis, dies tuba & clan-  
goris, &c. Quando in igne zeli ejus devo-  
rabitur omnis terra. Quam salutare Christi  
monitum est ! Attendite vobis, ne forte  
graventur corda vestra in crapula & ebrie- *Luc. 21.*  
tate, & curis hujus mundi, & superve-  
niat in vos repentina dies illa. O si cum  
Hieronymo: sive comedam, sive bibam, sive  
aliud quicquam agam, semper vox illa au-  
ribus meis insonare videatur : Surgite  
mortui, & venite ad judicium ! Væ enim *Timor ju-  
mibi misero, cùm venerit dies judacij, &  
aperti fuerint libri conscientiarum, cùm dice-  
tur de me : Ecce homo & opera ejus. Quid  
faciam tunc, Domine Deus mens, cùm*  
*dicii universo  
salis.*  
*August.*  
*Med. c. 32.*

G 2 cæli

cœli revelabunt iniquitatem meam , & adver-  
sum me terra consurget ? Ecce nihil responderi  
potero ; sed demissō capite, p̄a confusione, coram  
te stabo trepidus & confusus. H̄en me miser-  
rum ! quid dicam, clamabo ad te Domine Deus  
meus : Miserere mei Domine, dum adhuc tem-  
pus miserendi est , & secundum multitudinem  
miserationum tuarum dele iniquitatem meam.  
Ne mea quoſo reserves peccata, ad illum diem

Iſa. 30 v. 27.

Pœnitentia  
verum.  
Ps. 118.

iræ supremi Judicis ; quando ardens erit furor  
eius, & gravis ad portandum : labia eius reple-  
ta erunt indignatione, & lingua eius, quasi ignis  
devorans : spiritus eius, velut torrens inundans,  
ad perdendas gentes in nihilum. O Domine,  
contere nunc durum cor meum, & oculos sol-  
ve in lachrymas pœnitentiæ : Confige timori  
tuo carnes meas : à iudicio enim tuis timui. Et  
quia per singulos te dies offendio , lavabo per  
singulas noctes lectum meum , lachrymis meis  
stratum meum rigabo. His atque illis pœni-  
tentiae operibus N.N. sedulò infistam ; me-  
lius enim est lugere & dolere modicè in tem-  
pore, quam immensū in æternitate.

### III. PUNCTUM.

Horror &  
lamentatio  
improborum  
rum in hoc  
iudicio.

**C**onsidera, quale discrimin in hoc iudicio  
futurum sit proborum & improborum,  
dum illi exspectatione cœlestis gloriæ ad ulti-  
mam anhelabunt Judicis sententiam : hi scele-  
rum

## PRO ECCLESIASTICIS. 101

rum convicti , terrore æternarum pœnarum  
 jam imminentium, attoniti percusisque, in Ju-  
 dicis conspectu apparebunt. Tunc stabunt ju-  
 sti in magna constantia adversus eos , qui se an-  
 gustiaverunt, & qui abstulerunt labores eorum.  
 Hi vero videntes turbabuntur timore horribili,  
 dicentes intra se , pœnitentiam agentes , & præ  
 angustia spiritus gementes ; hi sunt, quos habui-  
 mus aliquando in derisum, & in similitudinem  
 improperii. Nos insensati vitam illorum estima- Sap. s.  
 bamus insaniam , & finem illorum sine honore.  
 Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, &  
 inter Sanctos sors illorum est. Ergo erravimus à  
 via veritatis. Quid nobis profuit superbia, aut  
 divitiarum jactantia quid contulit nobis? Tran-  
 sierunt omnia illa tanquam umbra. Videbunt  
 hinc cœlos apertos , & gloriam ejus inenarra-  
 bilem beatis paratam : indè vero occurret ocu-  
 lis animisque Tophet, abyssus pœnarum, præ-  
 parata, profunda, & dilatata, cuius nutrimen- Is. 30. v §1.  
 ta ignis & ligna multa flatus Domini sicut tor- Cœlum &  
 rents sulphuris succendens eam. Quām hæc di- infernus  
 versa consideratione electis & reprobis obji- patens.  
 cientur : dum illi tantam se calamitatem effu-  
 gere, tantam felicitatem subire jam mox posse  
 intelligent ; hi omnia ad suam perniciem in-  
 structa cognoscent! Vide nunc, atque expen-  
 de sedulò , inter quos aliquando futurus sis ;  
 quod ex præsenti magis vita tua, quām futura,  
 quæ incerta est, poteris arbitrari. Illud in animo

G 3

cer-

Malach 4.

Sep. 5.

Judex alius  
terribilis,  
alius amar-  
bilis.

Mat. 25. v. 3.

Ps. 23. v. 4.

Sententia  
alios fulmi-  
nans; alios  
beans.

certissimum sapientis revolve. Ecce dies venit su-  
censa quasi animus, & erunt omnes superbi &  
facientes impietatem stipula: & inflammabit  
eos dies veniens; & orietur vobis rimentibus  
eum Sol justitia, & egrediemini & salietis sicut  
vituli de armendo, & calcabitis impios, cum fue-  
rint cinis sub planta pedum vestrorum. Die  
obsecro, si hoc momento talis, qualis nunc es,  
stares in hoc iudicio, inter quos te futurum  
confideres? putasne meliorem te staturum;  
nisi jam nun c te emendes? O infelix impiorum  
dies, & felix piorum! omnem creataram arma-  
bit Deus ad ultionem inimicorum, & pugnabit  
cum illo orbis terrarum contra insensatos. Ipse  
Iudex vultu terribili inter fulmineas nubes  
metuendus eisdem in sede Majestatis suæ com-  
parebit. Contrà his, qui Christum secuti sunt  
Iudex amabilis & tanquam frater futurus est:  
quibus, postquam à reprobis separati fuerint,  
blando vultu verbisque, hanc dicet sententiam:  
*Venite Benedicti Patris mei, possidete paratum  
vobis regnum à constitutione mundi. Nimirum,  
innocens manibus, & mundo corde, hic accipiet  
benedictionem à Domino, & misericordiā à Deo  
salutari suo.* Hæc autem benedictio est, quæ  
omne bonum adfert, omne malum avertit. Ad  
quam consternati mali, cum se exclusos vide-  
rint, plusquam Esau paternâ benedictione pri-  
vatus, clamore magno irrugient; sed ad hos ira-  
tus JUDEX voce vultuque horribili conversus  
excla-

## PRO ECCLESIASTICIS. 103

exclamabit: *Discedite à me maledicti in ignem aeternum, qui præparatus est Diabolo & Angelis ejus. Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare.* &c. O voces supra tonitrua & fulmina terribiles, discedite à me Patre vestro, Creatore, Deo, fonte omnis boni, à vultu, in quē desiderant Angeli prospicere, à facie solo aspectu beatificante, ab omni amore ac beneficiis meis, quibus estis indigni, ab hæreditate & regno vobis cum Angelis præparato: maledicti in bonis externis, internisque omnibus, corporis & animæ, sensibus, potentissque universis, pro quibus frustra ego in carne maledictū factus sum, ut vos benedictione implerem. Nunc igitur discedite in ignem æternū. Non præparavi vobis aliquot dierum, annorum, aut sæculorum pœnam, sed æternam; non mollem in stramine carcerem, non solubilia vincula, sed ignem intimam viscera in horribili carcere comburentem & ardores sempiternos. Quæ tunc vox misericordis, quis sensus, quæ cogitatio futura est? Quò se vertent, quando omnis præter Deum creatura in horum damnatorum execrationem & tormenta conspirabūt, & sibi metipsis à deo execrabilis futuri sunt, ut se præ rabie ac desperatione lacerare, perdere, annihilare velint, & nō poterunt? Horum igitur societatem qui volent olim vitare in tam formidabili judicio: nunc etiam in terris vitent in quovis flagitio, & omnne opus ita peragant, tanquam rationem Deo præsentire reddituri.

G 4

AF-

## AFFECTUS ET COLLOQUIUM,

Apoc 15.

v. 3.

Admiratio

judicio-

rum Dei.

Ps. 42.

Ps. 2. v. 5.

Psal. 18.

Magna & mirabilia sunt opera tua, Domine Deus omnipotens, justa & vera sunt viae tuae. Rex omnium seculorum. Quis non timevit te, & magnificabit nomen tuum, quoniam iudicia tua manifesta sunt. Quam terribilia iudicia tua Domine, quae in extremum illum diem reservasti! Nunc igitur, judica me Domine & discerne causam meam; de gente non sancta, ab homine iniquo & doloso eripe me. In hoc tempore misericordie tue corrige me, & docere me facere justificationes tuas: a iudicis enim tuis timui. Loquere nunc Domine, quia audit seruum tuus: in extremo enim iudicio ad improbos loqueris in ira tua, & in furore tuo conturbabis eos. Fac ut hic me ipsum judicem, agnoscam, & plangam peccata mea. Ab occultis meis munda me, & ab alienis parce servo tuo.

O Domine, quam diversus ille iudiciorum tuorum exitus, quo de tuis creaturis immutabilis decreto, irrevocabili sententia statuis, venite benedicti, & discedite a me maledicti! quam illis optanda, amanda, leta; his abominanda, fugienda, tristia nuntias! illos aeternum, te vivere atque omne possidere bonum jubes; hos ardere sempiternis ignibus, atque interminabili abyssu malorum absorberi mandas! Et tamen utrique creaturæ tue sunt, quibus animum, sensum, vitam, omnia bona tribuisti, tanquam benignus pater hactenus. Nostri, quam

quàm fragiles creaturæ fuerint, quando etiam  
Apostolus tuus queritur: *non quod volo bonum  
facio; sed quod nolo malū.* Quid ergò est, quòd  
tam horrenda ira in illas desævias? quia inquis,  
vocavi & renuisti, extendi manum meam, & <sup>Prov. I.</sup>  
non fuit, qui aspiceret, despexit omne consiliū <sup>26.</sup>  
meum: ego quoque in interitu vestro ridebo.

O mi Deus, fac igitur, ut vocem tuam in  
sacris libris, in concionibus, in divinis inspi- <sup>Desideria</sup>  
rationibus tuis agnoscam, & non solum man- <sup>um ser-  
viendi</sup>  
data tua, quæ gravia non sunt, verùm etiam <sup>Deo.</sup>  
confilia libenter audiam, & pro statu mei con-  
ditione, ac viribus datis expleam: divinam et-  
iam manum tuam, quam sàpè in hoc mundo  
ad plectenda scelera extendis, tanquam cor-  
rigentem, & ad emendationem provocantem,  
aspiciam, atque exosculer; ut in extremo die te  
placare queām judicem meum. O Salvator,  
*cum veneris judicare, noli me condemnare.* Ecce  
ab hoc momento emendationem, in his illis-  
que delictis ac defectibus meis N. N. quibus te  
sàpius offendì juro ac promitto. His imposte-  
ruim precibus, ac pietatis operibus N. N. con-  
stanter insistam. Quod ut impetrem Domi-  
ne, fac ut sonent nunc sàpius illæ voices tuæ in  
auribus meis: *venite benedicti; discedite ma-  
ledicti.* Nec permitte me unquam separari à te,  
donec in æternum videam te, & cum omnibus  
sanctis glorificem te, Deum meum, benedi-  
cum in secula.

*Judicium fatale subit, (2.) secretapatebunt  
Omnia, (3.) clarescent ira favorque Dei.*



## PRO DIE III.

## MEDITATIO IV.

*De inferno, respondens quinto Exerci-  
tio S. IGNATII.*

**V**ERITAS. Horrenda inferni poena  
omnia hujus mundi excogitabilia  
supplicia vincit, sensus & mem-  
bra corporis singula pervadens. (2.) A-  
nimam quoque ejusque potentias uni-  
versas immensum cruciatura, (3.) Ve-  
rùm sola æternitas est, quæ inter hæc  
omnem suppliciorum atrocitatem lon-  
gè superat.

ORATIO PRÆPARATORIA Com-  
munis.

**P**RÆLUDIUM I. *Imaginarete, dehiscente  
velut in Etna monte, terrâ, locum damna-  
torum in eis centro, tanquam in camino suc-  
censo, contemplari, & esto cum illis, qui  
descendunt in infernum viventes, ne pericli-  
tentur morientes.*

PRÆ-